



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XVII. Collectarum, quarum remissionem ex falsis allegatis causis
obtenuit Officialis. Inquiritur, an aliqua Restitutio fieri debeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

subditorum M. semper toleratam, & nunquam interruptam, secundum dicta ad *Quaestionem 2dam*. Debuissent enim subditi M. si habuissent jus piscandi privativè, contradicere, & videntes, quòd etiam subditi Z. piscarentur in Danubio, eosdem prohibere à piscatione. Cum ergo hoc nunquam factum sit, vel si factum est, subditi Z. tamen in suo modo perrexerint, signum est, quòd subditi M. jus hoc privativum excludendi illos à piscatione vel nunquam habuerint, vel antea habitum præscriptione amiserint. Quod si autem 3. contra spem subditi Z. in docendo hoc suo jure compiscandi deficerent, & per sententiam contra ipsos latam, prohibiti, adhuc pergerent imposterum in

piscatione, poenam quidem incurrerent; in hac tamen ferenda juxta dicta ad *Quaestionem 3tam*, inter judicem M. & Z. locus foret præventioni, quam tamen præventionem judex M. exercere vix poterit, quippe contra existentes extra suum territorium, ubi opus esset remissione, quam remissionem judex Z. merito negare in casu hoc poterit. Porro poena hæc 4. per dicta ad *Quaestionem 4tam*. cum piscatio sic prohibita fiat in flumine publico, ubi pisces naturali suâ libertate, antequam capiantur, gaudent, erit arbitraria, minor tamen, quam si fieret in flumine privato, vel lacu, aut stagno, taxanda pro qualitate delicti, & circumstantiarum illius.

CONSILIUM XVII.

In causa Collectarum, quarum remissionem Officialis per exaggerationes nimias, & ex parte falsas impetravit.

SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. seqq. Opposita opiniones, an & cui Collecta, quarum remissio ex falsa causa impetrata est, debeant restitui.
11. Ex oppositis Theologorum opinionibus nascitur utrinque probabilitas.
12. seq. Et hinc bona, de quibus tale est dubium, comparantur bonis incertis.
14. Quæ eroganda sunt in causas pias.
15. seqq. Rationes, ex quibus in substrato casu dictamen formatur.
19. seqq. Rationes contraræ rectitudinem hujus dictaminis proponuntur, & solvuntur.
33. seq. Bona incerta ex delicto applicanda sunt ad causas pias.

35. Incerta sine delicto, possunt retineri.
36. Indagandus est dominus bonorum incertorum; quid si compareat dominus post erogationem?
37. Applicatio pecuniarum in hoc casu facta approbatur.
38. Non licet occultè compensare operam suam aliunde debitam.
39. Licet compensare operam aliunde non debitam.
40. 41. Conditiones ad occultam compensationem requisitæ.
42. Resolvitur, in præsentis casu posse retineri, quod per tacitam compensationem acceptum est.

FACTI SPECIES.

I.



Empronius certijusdam Monasterii Præfectus, vi muneris sui, etiam nomine Principis territorialis, ac statuum Provincialium à subditis colligere debet stueras, ut vocant, & alias impositiones, seu præstationes publicas. Harum impositionum, & Collectarum remissiones satis notabiles (nam intra sedecim annos, quo Sempronius præ-

est officio huic suo, remissiones istæ ascendunt ultra 20000. fl.) obtinuit subditorum eorundem nomine mediis exaggerationibus damnorum, quæ iisdem per grandinem, inundationes, & similes casus illata fuissent, partim nimis, partim etiam falsis; nam aliqui nihil hujusmodi passi sunt.

Successu temporis subortum eidem Sempronio fuit dubium, an non remissiones istæ fuerint invalide impetratæ, ac proin ærario publico restituendæ. Proin, ut conscientiam suam tutam redderet, trium Theologorum consilium exquisivit, quorum unus respondit, sibi videri prædictas remissiones nulliter, & invalide impetra-

tas fuisse, eâ potissimum ratione nixus, quòd ex parte Principis, & statuum Provincialium defecerit intentio huiusmodi remissiones, & condonationes faciendi, quippe quæ implicitam conditionem habuere, si preces veritate nitantur. Confirmavit hoc non parum ex eo, quòd in casu præsentis remissiones istæ fuerint petitiæ, & obtentæ, postquam subditi Collectas jam persolvissent, & consignassent ad manus Sempronii, tanquam Officialis, ad id publicâ autoritate constituti, ac proinde jam transiissent in dominium Principis, ac statuum Provincialium.

3. Alter verò Theologus censuit, remissiones istas nihilominus fuisse valide impetratas, eò quòd causa finalis, nempe inopia subditorum, licet supra verum fuerit exaggerata, adhuc subsisteret, præsertim cum constet, subditos per huiusmodi Collectas supra æquum hodie gravari: qui confirmavit hanc suam resolutionem ex sententia Ludovici Molinæ nostri, qui tract. 2. de J. & J. D. 210. n. 2. distinguit, an donans, vel remittens debitum ob causam falsam, à donatario allegatam, ita actualiter, vel quasi habitualiter sit dispositus, ut non daret, vel remitteret, sed potius repeteret donatum, vel remissum; vel contra ita animo sit præparatus, ut, non obstante falsitate causæ propositæ, adhuc daret, vel remitteret, aut non daret quidem, si sciret, causam esse falsam, ex post facto tamen ratam habere donationem. Si primum, juxta allegatum Doctorem accipiens datum tenetur restituere, cum tali casu animus donandi, vel remittendi cesset, quippe alligatus conditioni, si vera sit causa, à petente proposita. Si Secundum, juxta eundem Molinam tenet donatio, & cessat obligatio restituendi, quippe, cum eo casu actualis, vel quasi habitualis intentio donantis fuerit, ut, non obstante fictione, donatio valida sit. Porro, ut idem Molin. l. cit. notat, plurimi sunt, qui, licet non darent, si fictionem scirent, posito autem, quòd dederint, attentisque circumstantiis, in quibus dederunt, volunt nihilominus ratam esse donationem. Et hoc præsertim procedit in casu, quando dubium est, an justè impetratæ sint ejusmodi Collectæ; tunc enim,

ut cum Molin. Lug. Sporer, & alii docet la Croix libr. 3. p. 2. n. 282.

licet subditi, stante probabilitate majore pro Principe, teneantur Collectas huiusmodi solvere, antequam defraudatio earum facta sit ipsi, tamen, postquam defraudatio earum facta est, à Confessariis non facile obligandi sunt ad restitutionem earum faciendam.

4. Ex quo fluit, quòd etiam Princeps meritò præsumi possit, interpellatus super relaxatione Collectæ, sic imperatæ, velle remittere obligationem illas præstandi, etiam

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

am in casu, quo in libello supplici, pro obtinenda ejus relaxatione, proposita fuit causa falsa, quippe cum in ejusmodi casu causa motiva, & principalis sit dubium de justitia Collectæ imperatæ, causa verò falsa, in libello allegata, solum habeat rationem causæ impulsivæ, quæ, etsi falsa sit, non tamen vitiat gratiam, concessam à Principe. Cum ergo hodiernis temporibus subditi Collectis, & tributis nimium quantum gravibus, & fortasse etiam injustis premantur, ita, ut licet ipsis aliqua fiat remissio, tamen adhuc Principi, & statibus plus adhuc solvant, quam exigi ab iis ex præscripto justitiæ possit, idem Princeps, & status meritò præsumi possunt, remissionem Collectarum in tali casu non alligasse causæ, falsò propositæ, sed potius in ea faciendâ respexisse difficultatem, quam in ipsis pendendis habent subditi. Proinde juxta hunc secundum Theologum refusio Collectarum, sic remissarum, non est faciendâ Principi, vel statibus.

Obtentis his responsis, Sempronius tum ob autoritatem binorum istorum Doctorum, à quibus ista obtinuit, tum ob rationes, ab iisdem allatas, judicavit, utramque opinionem esse vere probabilem, exinde verò ulterius dictamen sibi formavit, quòd, stante hac probabilitate, atque inde resultante dubio, an remissiones istæ à subditis tutâ conscientia ex integro retineri, vel saltem quoad excessum, per falsas exaggerationes, obtentum, ærario publico restituendæ sint, conclusit, se non male facturum, si hunc excessum, saltem pro parte, ad fabricam certæ cujusdam Ecclesiæ, quam magnâ ex parte subditi frequentare, & ibi Divinis interesse solent, applicaret; simul verò ex eodem excessu sibi detraheret sumptus itineris, quod suscipere quotannis pro impetrandis his remissionibus ad curiam debuit, proque honorariis, quæ ad conciliandos sibi, & subditis Patronos, ut eorum ope intentum suum facilius consequeretur, elargitus est. Proinde

QUÆRITUR I.

An Sempronius sine restitutionis onere notabilem ejusmodi contributionum partem, citra subditorum expressum consensum, vel Principis, ac statuum expendere potuerit ad prædictam Ecclesiam fabricam?

UT judicaret Sempronius, se ita rectè, ac licitè facere, nixus fuit eâ TT. doctrinâ, quâ isti docent, quòd bona incerta, de quibus certò non constat, quis eorum sit dominus, ad pios usus ritè expendantur: idque tantò fidentiùs sibi licitum

(B b 2)

24

autumavit, quod neque principem, qui fortè ultra fas, & æquum impositiones huiusmodi publicas exigeret, neque status provinciales, quibus per hanc applicationem, ad fabricam Ecclesiæ factam, nihil magnopere decedebat, cum hunc defectum alii proventus, iisdem statibus attributi, satis compensarent, & multò minùs subditos, utpote quos multis aliis titulis sanè pretiosis sibi devinxit; & in eorum favorem suà dexteritate, atque industrià talia effecit, quæ fortè nullus alius officialis præstitit vel etiam ausus fuisset attentare, rationabiliter censeret esse inuitos.

7. Ut verò Sempronius circa hoc dubium tutum se in conscientia redderet, alium quendam Theologum ipse consuluit, qui, pensatis priorum duorum Theologorum fundamentis, mediam viam ingressus, vivà voce mentem suam exposuit in hunc modum. Et imò quidem asseruit, probabilius sibi videri, collectas, per exaggerationem damnorum nimiam, & ex parte falsam remissas, in casu subtrato non esse propriè, & strictè bona incerta, de quibus Theologi, & canonistæ loquuntur, quando passim tradunt, quod in causas pias sint eroganda, adeoque dictamen Sempronii speculative, & in rigore Theologico loquendo probabiliter fuisse erroneum; addidit tamen idem Doctor, si in ordine ad obligationem restituendi de collectis, sic remissis, Sempronius idem iudicium ferat, quod de bonis incertis propriè, & simpliciter talibus, iudicium huiusmodi neque manifesti erroris, neque practicæ aliqujus improbabilitatis, multò minùs aliqujus inconsequentia doctrinæ damnari possit. Et hinc

8. Asseruit 2. Sempronium, stante hoc dictamine sibi formato, nec illicitè, nec injustè egisse, dum remissiones istas ad fabricam Ecclesiæ applicavit. Rationem dedit, quia, licet remissiones hæ non sint bona incerta propriè, & strictè talia, illas tamen optimà ratione iisdem æquiparari posse, cum nulla solida ratio assignari possit, quare bona incerta propriè, ac strictè talia applicari piis usibus possint, & non idem juris obtinere debeat in casu Sempronii, ut adeò dictamen, ex paritate rationis, formatum ab eodem Sempronio, non possit dici simpliciter, & sine addito temperamento erroneum, idque juxta receptam apud JCtos doctrinam, juxta quam, quando aliquid non quidem expressis verbis à lege, vel canone statutum est, si tamen eadem ratio militet pro alio simili casu, de quo habetur expressa legis constitutio (ut hic de restituendis bonis incertis propriè, & simpliciter talibus per *c. cum tu. §. de usuris*) argumento talis legis, vel canonis ob identitatem, vel paritatem rationis etiam talis casus huius-

modi dispositione comprehensus esse censetur.

9. Asseruit 3. circa bona ejusmodi, quæ non sunt propriè, & simpliciter incerta, & restitutionem illorum esse distinguendum, an res sit dubia, seu litigiosa inter paucos, v. g. duos, vel tres, an verò inter principem, aut status provinciales ex una, & integram communitatem, constantem aliquot centenis subditis, ex altera parte. Si imum, cum communi, & certa sententia dixit, non obstante probabilitate juris, pro utroque pugnante rem litigiosam, vel quocunque demum modo dubia inter ipsos pro quantitate dubii esse dividendam, adeoque solam probabilitatem speculativam non esse sufficiens fundamentum, ut res taliter dubia, tanquam bonum verè, & propriè incertum, ad usus pios licitè applicari possit. Quoad alterum calum, qui est præsentis quæstionis, ubi cum principe, & statibus provincialibus concurrat tota communitas, æquali fortè jure, sed utrinque dubio, & incerto, atque ubi simul incertum est, quinam ex subditis per inundationem, grandinem, aliàque ejusmodi facta passi sint damnificationem, quæ fuit unica causa factarum remissionum, magna ex parte ob- & subreptitiè obtentorum præsertim cum post tanti temporis lapsum multa prædia vel per mortem, vel per alienationem inter vivos, possessores suos mutaverint, addidit, novam emergere difficultatem in puncto executionis, quid nimirum, & quantum cuilibet restituendum sit, & an hæredes ipsorum jure personali, vel moderni possessores jure quodammodo reali aliquid possint exigere: quam tamen difficultatem vir iste religiosissimus simul, & doctissimus in hoc suo responso insolutam reliquit.

10. Resolutio hujus 1. quæstionis dependet à rectitudine dictaminis, quod sibi in negotio isto fecit Sempronius. Quod in hac re Sempronius nihil dolo malo, sed omnia bonâ fide, saltem Theologicè taliter egerit, satis ex eo patet, quod tam studiose inquisiverit mentem plurium Theologorum, cupiens ab his erudiri, & fluctuantem conscientiam scrupulo isto eximi, simul etiam paratus ad restitutionem, si quocunque demum titulo ad hanc obligaretur, pro viribus procurandam, nisi vel impotentia, vel alia causa ipsum excusaret; fatetur enim, semper se ita animo comparatum fuisse, quod velit stare iudicio aliorum virorum gravium, & nihil committere contra justitiam. Proinde sufficienter hoc ipso prodidit, sincerè se agere, nollèque per retentionem rei alienæ, vel illicitam de illa dispositionem vulnus animæ suæ infligere. Cum ergo

11. Theologi, quos ipse consuluit, abiverint in diversas sententias, & una quidem pars, juxta dicta *num. 2.* ex ratione, quod

quod remissiones istæ habuerint imbibitam istam conditionem, si preces veritate niantur, easdem, in quantum illæ impetratæ sunt per falsa narrata, judicaverit valore destitui; altera verò pars per rationes, num. 3. & 4. propositas, steterit pro earundem valore, Sempronius, videns, & comparans inter se rationes utrinque allatas, judicavit, & adhuc judicat, statum quæstionis de valore harum remissionum, saltem quoad excessum, per falsas exaggerationes damnorum perpefforum impetratum, ita constitutum esse, ut utraque opinio dictorum Theologorum in rigore Theologico ad eundem probabilitatis gradum ascendat, atque ideo necessario resultet dubium, an pecuniæ, ex contributionibus collectæ, præsertim, postquam jam in manus officialis Sempronii à subditis consignatæ sunt, in quantum precum veritatem superant, adhuc manserint in dominio subditorum; an verò post solutionem ipsarum, à subditis factam, transierint in dominium principis, ac statuum provinciarum. Stante hac æquali utrinque probabilitate, & resultante exinde incertitudine, quis pecuniarum, sic remissarum, sit dominus,

12. 2. Conclufit Sempronius, illas incensum bonorum incertorum venire, cum nemo certus earum dominus assignari possit: non princeps, aut status provinciales; quia iustitia tributorum, & impositionum, quibus hodie gravantur subditi, non undequaque est certa, sed iudicio virorum prudentum valde dubia: certè nemini, nisi cui scrinia principis patent, satis constare potest, an collectæ ejusmodi, consideratæ præsertim inutiles earum applicatione, iuste imponantur, & non ultra modum, imò contra jus, & æquum per tot jam annos à subditis exigantur. Sed nec etiam subditi possunt dici certò esse domini excessus pecuniarum, per falsas exaggerationes impetrati; nam, cum jam integras collectas, prout imperatæ sunt, solverint, antequam remissio earum fieret, ita solvendo videntur abdicasse se illarum dominio, & valde dubium est, an per remissiones ita factas dominium earum recuperaverint, quippe cum incertum valde sit, an remissiones istæ quoad excessum, per falsas exaggerationes damnorum impetratum, sint validæ,

13. 3. Adjuvat Sempronium difficultas etiam si pecuniæ restitui deberent subditis, gravissima, eò quod communitas subditorum loci sit valde ampla, quippe quorum numerus ad 900. vel plura capita ascendit, ut proinde in ordine ad subrepartitionem, ut vocant, sive in dijudicando, quid, quantumque cuique subditorum ex pecuniis contributionum sic remissis restitui debeat, nova planè, & penè inextricabilis confusio oriretur. Augetur diffi-

cultas ista per hoc etiam, quia multi ex subditis, in quorum favorem remissiones hæ factæ sunt, intra tantum temporis spatium, nempe octodecim annorum, aut jam mortui sunt, aut prædia sua mutaverunt, ex quo nova incertitudo emergit, an hodiernis possessoribus jure reali, vel hæredibus priorum possessorum jure quasi personali, ad ipsos devoluto, facienda fuisset compensatio. Constituto jam hoc, quod remissiones istæ inter bona incerta connumeranda sint,

14. 4. Sempronius usus est principio apud TT. communissimè recepto, juxta quod in casu, quo de restitutione bonorum incertorum agitur, & nescitur, quis eorum sit dominus, talia bona in pauperes, vel alios usus pios eroganda sunt, hocque principio nixus, ulterius intulit, ritè, & licitè se facturum, si easdem pecunias ad fabricam Ecclesiæ loci, tanquam ad locum pium, applicaret, præsertim, cum, ut num. præc. dictum est, restitutio ob incertitudinem, quid, quantum, & cui ex subditis compensatio fieri deberet, inextricabilem ferè passura esset difficultatem. Cum ergo ob similem difficultatem mercator, qui ad fallendum emptores in ponderatione, vel dimensione rerum à se venditarum usus est pondere levio, & ulnâ breviori, quàm æquum sit, non obligetur ad inquirendos emptores à se deceptos, ut illis satisfaciatur, ob moralem impossibilitatem veniendi in horum omnium notitiam, sed ex communi doctrina satisfaciatur, si restituat pauperibus, præsertim communitatis illius, in qua plerique emptores degunt, ita etiam ob similem difficultatem tutus in conscientia erit Sempronius, si restitutionem fecit fabricæ Ecclesiæ, quam subditi frequentant. Adde, quod

15. 5. Contra restitutionem, sic factam, Sempronius neminem putaverit esse posse rationabiliter invitum. Non subditos; nam horum quoad hanc quæstionem duplex conditio est: & quidem una eorum, qui revera passi sunt damna, ob quæ remissiones istæ petite sunt; altera, in quibus non verificatur hæc ratio, eò quod vel nullum, vel non tantum passi sunt damnum. Priores querelam nullam movere possunt; nam, ut ait Sempronius, hi acceperunt partem remissionum, suæ damnificationi proportionatam. Proinde dubium duntaxat procederet in iis, qui damnum simile passi non sunt, quorumque partem, à se retentam, ipse dein applicavit ad Ecclesiæ fabricam. Verum, quia graves TT. suprà relati, ex post facto consulti, judicaverunt, remissiones istas, quatenus veritatem causarum propositarum excedunt, fuisse invalidas, & propterea compensationem earum potius faciendam fuisse arario publico, non creduntur rationabiliter potuisse esse invitum, quod

(Bb 3)

quod pars remissionum, quæ ipsos tetigit, non ipsis restituta, sed ad Ecclesiæ fabricam applicata fuerit. Imò iidem, si etiam ipsi accepissent hanc partem suam, timere sibi deberent, ne fortè remissiones istæ, per falsa narrata, & nimias exaggerationes in eorum favorem obtentæ, ad mensuram damnorum, quæ in rei veritate perpeSSI sunt, reducantur, sicque ad refundendum excessum, subdolè impetratum, condemnentur: quo periculo eximuntur hoc modo, cum dicere possint, se solvisse omnia, prout imperata fuere à principe, & statibus provincialibus.

16.

Sed nec principem Sempronius credit esse posse rationabiliter invitum; hunc enim, fortè tributorum planè ultra modum, si non contra fas, & æquum subditis impostorum, & malæ applicationis suæ conscius, sperat, pro sua innata clementia, & pietate erga causas pias, potius laudaturum hanc villici sui (si ita nominanda sit) iniquitatem, dum excessum fortasse nimium ejusmodi exactionum, quem ipse non posset tutà conscientia percipere, ad fabricam Ecclesiæ applicavit. Servire etiam Sempronio, ut iste quidem putat, ad excusandum hoc factum suum potest, quod aliorum etiam officialium communis ita ferat stylus, ut misérias, & damnificationes subditorum ad obtinendam remissionem quandam de contributionibus imperatis nimium quantum exaggerare soleant: quod quidem contra sinceritatem pugnat, quia tamen hic agendi modus, quo officiales in hoc puncto utuntur, non latet summa tribunalia, & tamen sine ulteriori discussione causarum, in libello supplici propositarum, petentibus remissionem concedunt, nullà limitatione additâ, & ideo absolute consensisse in has remissiones censetur, hæc impetratio, facta ad hujusmodi exaggerationes, non videtur esse contra justitiam. Proinde putavit Sempronius, se tutò se qui aliorum officialium morem posse, quippe cum non animum principem, aut statum provinciales decipiendi, sed subditos à nimis contributionibus alleviandi habuerit: vel si error aliquis intervenit, credit, illum status prædictos debere potius facilitati suæ imputare, quod statim omnimodam Sempronio, ita subditorum misérias exaggeranti, fidem habuerint.

17.

Multò minùs circa hanc applicationem pecuniarum remissarum, ad fabricam Ecclesiæ factam, invitum rationabiliter potest esse monasterium, cujus præfectum in civilibus agit Sempronius; neque enim dictum monasterium latuit, aut latere potuit, quantum de remissionibus his, vulgò von denen Nachlassen, ad fabricam Ecclesiæ loci quæst. fuerit applicatum, quippe cum hoc rationes Ecclesiæ, vulgò Ritzchen-Rechnungen, in quibus datum, & ac-

ceptum annotatur, quasque Reverendissimus Monasterii ejusdem Abbas quotannis datas inspicere poterat, apertè, & specificè exprimebant. Imò dictum monasterium olim laudavit hanc villici sui (si tamen ita dici debet) iniquitatem, qui animo tam bono, & intentione adeo inculpata, remissiones has pro fabrica dictæ Ecclesiæ applicavit. Et verò habebant sanè causam æquissimam, cur hanc anticipationem, ut eam vocant, beneficii loco interpretarentur, & gratias ipsi referrent, utpote cum ipsis, tanquam decimatoribus, alias incubuisset onus ad hanc fabricam pro rata concurrendi, quique ab hoc onere non parùm levabantur per applicatam eidem fabricæ pecuniæ summam, quæ ad 3147. fl. ascendit.

Cum ergo circa applicationem hujus pecuniæ ad fabricam Ecclesiæ nemo censetur rationabiliter invitus, Sempronius etiam putat, se ad restitutionem earum nullatenus obligari; nam si ad hanc faciendam obligaretur, obligatio hæc proficisceretur, ex alterutra radice generali, quam TT. pro obligatione restitutionis faciendæ ponunt, scilicet vel ex re accepta, vel ex injusta acceptione. Ex re accepta in casu subtrato Sempronius non tenetur; nam res aliena neque in se, neque æquivalenter, sive in aliquo lucro, ex hac applicatione accepto, penes ipsum existit. Multò minùs ex injusta acceptione ad restitutionem se conveniri posse existimat, cum, stante hoc ipsius dictamine practico, & reflexo, nullam injustitiam, saltem formalem, commiserit. Certè ipse Sempronius bonam, imò optimam in hac re intentionem alleviandi onera subditorum se habuisse profitetur, & si deinde partem aliquam remissionum, quas sua dexteritate obtinuit, ad Ecclesiæ fabricam applicavit, sanè ista respectu pecuniarum, operâ ipsius remissarum, utpote cum hæc ad 21. millia universim conficiant, sanè exigua est; nam, deductis suprâ dictis 3147. fl. tota hæc summa in salvo subditis mansit, adeoque adhuc duplo, vel ampliùs, quàm aliàs subditi iidem fortassis obtinuissent, auctior, & sic damnis ipsorum proportionata fuit.

Pro negativa stat 1. quod remissiones istæ pro subditis à Sempronio impetratæ sunt mediis exaggerationibus nimis, & pro negativa. partim falsis damnorum, per inundationes, grandinem, & similes casus ipsis illatorum (nam aliqui nihil omnino passi sunt, quos tamen idem Sempronius nihilominus ad augendam remissionis quantitatem ipse supplici suo libello inscripsit) adeoque, licet fortasse gratia hæc remissionis quoad eos, qui revera damna talia passi sunt, in valore suo subsistat, in quantum ista proportionata sunt remissioni, tamen quoad ceteros, qui à damnis hujusmodi immunes fuerunt, fuit impetrata sub-vel obreptitiè,

con-

consequenter nulliter, & invalidè, quippe cum, ut primus Theologus, à Sempronio consultus, & num. 2. allegatus; monuit, ex parte principis, & statuum provincialium, remissiones has facientium, in condonationibus his faciendis mens alia non fuerit, nisi cum conditione tacitâ, & imbibitâ, si preces veritate nitantur.

20. 2. Eadem remissiones in casu substrato obtentæ sunt, postquam subditi Collectas integras, prout imperatæ erant, jam persolverunt, & in manus Sempronii, tanquam officialis, ad id publicâ autoritate constituti, consignaverunt. Proinde, ut idem Theologus monuit, pecuniæ istæ jam transferunt in dominium principis, ac statuum provincialium, sicque Sempronius de his pro libitu suo sine illorum consensu disponere nequaquam potuit. Et esto, incertum sit, an non remissiones hæc Collectarum, non obstante exaggeratione damnorum nimia, & partim falsâ, nihilominus validè sint impetratæ, tamen illæ

21. 3. Ut tertius Theologus judicavit, in casu substrato non possunt haberi pro bonis propriè, & strictè talibus in ordine ad effectum, ut liberè possint erogari ad causas pias, quippe cum certum sit indeterminatè, pecunias, ex Collectis à Sempronio reservatas, spectare vel ad principem, & status provinciales, si remissio illarum subreptitiæ, adeoque invalidè fuit impetrata, vel ad subditos, si vitio nullitatis ob nimias, & ex parte falsas exaggerationes non fuerunt affectæ remissiones prædictæ. Proinde pro modo probabilitatis, stantis pro utraque parte, videntur potius inter principem, & status ex una, & inter subditos ex altera parte debere dividi, & subditis quidem relinqui id, quod damnis illorum proportionatum est, ærario publico autem restitui, quod veritatem damnorum, pro concedenda remissione allegatorum, excedit, quippe cum princeps, ac status quibus jus collectandi competit, præsumptionem pro se habeant, quod Collectas secundum substantiam, & quantitatem justè imperaverint. Consequenter

22. 4. Sempronius non bene usus est principio illo, apud TT. communiter recepto, juxta quod; quando agitur de restitutione bonorum incertorum, & nescitur, quis eorum sit dominus, talia bona in pauperes, vel alios pios usus eroganda sunt, hocque principio nixus ulterius intulit, ritè, & licitè se facturum, si pecunias Collectarum remissas quoad partem, quæ proportionem cum damnis subditorum per se excedit, ad fabricam Ecclesiæ loci applicaret; nam hoc principium solum procedit, quando bona propriè, & strictè incerta sunt, ita, ut ne quidem indeterminatè certum sit, quis illius rei sit dominus. Secus est, quando scitur, rem pertinere ad unum è pluribus, sed sciri

non potest, ad quem determinatè pertineat; tunc enim,

ut apud la Croix lib. 3. p. 2. n. 93. communiter DD. cum Molina, Lessio, Laymann &c. dicunt,

illa restitui istis debet dividendo inter ipsos pro rata majoris probabilitatis, & dubii, quippe cum in hoc casu singuli habeant jus dubium ad rem illam, nullus autem certum, consequenter æquitas postulat restitui eam illis pro qualitate dubii. Neque obstat, quod forte

23. 5. Neque subditi, nec monasterium ipsum, cujus præfectum in civilibus Sempronius agit, quoad applicationem, fabricæ Ecclesiæ factam, rationabiliter possint esse inviti; neque enim adeo facile præsumi debet, quod non etiam rationabiliter invitatus sit princeps, vel status provinciales quippe qui fortè, si eisdem innotesceret fraus, à Sempronio in ordine ad remissiones hujusmodi impetrandas adhibita, vel à subditis, qui damnum nullum sunt passi, vel ab ipso Sempronio excessum istum repeterent, & nequaquam consentirent applicationi istius ad Ecclesiæ fabricam, quippe ad quam procurandam non princeps, vel status provinciales, sed monasterii Prælatus, tanquam decimator loci, obligatus fuisset. Deinde

24. 6. Vel ponuntur Collectæ istæ quoad quantitatem remissam fuisse justè imperatæ à principe, & statibus, vel injustè. Si justè, transferunt illæ per solutionem, à subditis actualiter factam, quoad dominium ad principem, vel status provinciales, qui fortè in hac temporum difficultate egent isto subsidio, & ideo, rescitâ nimia, & ex parte falsa exaggeratione damnorum, non tam facile consentirent remissioni. Si injustè, meritò quoad Collectarum, contra justitiam imperatarum, excessu remissionis gratiâ gaudebunt subditi, non tantum illi, qui per inundationem grandinem &c. tale damnum passi sunt, sed etiam ceteri, qui à talibus damnificationibus fuerunt immunes. Ratio est, quia, licet isti à damnis, in libello pro remissione impetrando relatis, fuerint liberi, tamen per hoc ipsum, quod collectas integras, prout imperatæ erant, coacti sint solvere, & excessum earum Sempronius eisdem non restituerit, damnificati fuerint, & ideo istum excessum remisisse, & in applicationem ejus ad fabricam Ecclesiæ consensisse non adeo facile præsumi possunt.

25. 7. Si alii similes officiales ad impetrandas hujusmodi relaxationes utuntur hoc medio, quo ipse Sempronius, & ultra verum miseras, & damnificationes subditorum exaggerant, hoc ipsorum exemplum Sempronius sequi non potuit. Sed nec alii in foro externo, si ad hoc istud ipsorum factum deduceretur, tuti forent à poena;

pœna; neque enim tam facile præsumi potest circa hoc principium, & statuum provincialium consensus, quippe cum ipsi hodie nimis strictè inhæreant suis iuribus, nec facile de his, nisi ex causa iusta, & vera, quidquam remittant. Quare per hoc, quod ipse non habuerit animum decipiendi principem, aut status provinciales, sed bona fide intenderit alleviare subditos à nimis contributionibus ad exemplum aliorum similium officialium, in foro quidem interno, defendente illum bonâ fide, ad restitutionem pecuniarum, ad fabricam Ecclesiæ sic applicatarum, juxta opinionem omnium trium Theologorum, quos ipse consuluit, obligari non poterit, tamen, si ad forum externum res deducatur, vix, & ne vix quidem ob dolum, ex damnorum nimia, & partim falsa exaggeratione præsumptum, efficere poterit, ne ad restitutionem faciendam, fortè etiam superaddita multâ, condemnaretur. Imò, ut unus ex dictis TT. addidit, ne quidem in foro interno de his pecuniis pro parte ad fabricam Ecclesiæ applicanda sibi dictamen formare potuisset, nisi error ipsum excusasset.

26.
Respondetur ad rationes pro negativa propositas.

Ad has tamen rationes dubitandi hunc in modum responderi potest. Ad primum. In præsentī casu causa finalis, ob quam remissio collectarum à principe, vel statibus provincialibus facta est, fuit inopia subditorum, quæ causa, licet ista supra verum à Sempronio exaggerata fuerit, adhuc subsistit, præsertim, cum constet, subditos per collectiones hujusmodi supra æquum hodie gravari, adeò, ut, licet aliqua ipsis fiat remissio, tamen principi, & statibus plus adhuc solvant, quam exigi ab ipsis ex præscripto justitiæ possit: quod si verum est, justitia talium tributorum erit dubia quoad excessum, & sic, licet, stante probabilitate majore, vel æquali pro principe, subditi teneantur collectas hujusmodi solvere, antequam defraudatio earum facta sit; postquam autem ea facta est, per DD. num. 3. allegatos, à confessoribus non facile obligandi ad restitutionem earum faciendam sunt, idque non alio ex capite, quam quod etiam princeps, posito dubio de justitia Collectarum imperatarum, si interpelletur de harum mitigatione, censeatur remittere obligationem eas præstandi integras, non obstante nimia, aut falsa etiam exaggeratione damnorum, pro causa relaxationis allegatorum, quippe cum princeps in relaxatione hac decernenda potius respexerit difficultatem, quam subditi in Collectis hujusmodi præstandis habent, quam ad causam falsam ipsi propositam. Poterunt ergo etiam illi subditi, quos commune aliis farum per grandinem, inundationem &c. non tetigit, non obstante, quod hæc causa etiam pro ipsis allegata sit, tuti esse in

conscientia, si post relaxationem sic impetratam, restitutionem non faciant. Ex quo sequitur responsio

Ad 2. Certum est, quod merito præsumi possit, collectas, sic remissas, donatas fuisse subditis illis, in quibus verificatur causa damnorum allegatorum, quique, & in quantum ista passi sunt ex grandine, inundatione &c. nam respectu horum causa ista subsistit, fuitque à principe, & statibus agnita tanquam iusta ad concedendam remissionem Collectarum imperatarum juxta proportionem damnorum, quæ ipsi perpassi sunt. De cæteris, qui nullum tale damnum perpassi sunt, in dubio quidem, an justè imperata sint, videtur esse locus

can. in memoriam 3. dist. 19.

ibi, licet vix ferendum - imponatur jugum, tamen feramus; quia princeps, & Magistratus supremus, tale tributum imponens, est in possessione: consequenter melior est ipsius conditio juxta Reg. in pari. 65. in 6. Verum hoc procedere potest, quando relaxatio non impetratur; nam juxta reg. odia 15. in 6. favores, præcipue à principe impetratos, convenit ampliari. Imò etiam, quando remissio talis non est impetrata, Confessarii in praxi sequi possunt consilium, quod ipsis dant

Sylv. V. Gabella 3. n. 29. Molin. tract. 2. de J. & J. D. 674. n. 9. concl. 5. Wiestner ad tit. de cens. exact. & procur. n. 84.

ut scilicet in dubio ante factum inclinent pœnitentem ad solutionem, post factum autem ad dubium, & non soluti tributum, vel excessus restitutionem faciendam non compellant arg. reg. in pari. cit.

Ad 3. In casu præsentī per ea, quæ dicta sunt duobus num. præced. merito præsumi potest, quod princeps, & status relaxare absolute obligationem pendendi collectas ad mensuram gratiæ factæ voluerint subditis, etiam non passis damna, pro impetratione hujus gratiæ allegata: quod si verum est, tantum quaestio in eo consistit, utrum Sempronius debuisset restitutionem facere ipsis subditis. In hac quaestione

Tamburinus libr. 8. Decal. tract. 4. c. 1. §. 3. n. 19.

edò inclinare videtur, quod restitutio fieri debeat communitati læsæ; proponit enim casum, quo quis in pretio, vel mensura defraudavit eos, qui emunt minores cibos, & scire non potest, quos in particulari læserit, scit tamen, se læsisse hanc viciniam, hanc civitatem, hunc populum; & respondet, tunc judicio prudentis viri aliquod bonum his defraudatis commune faciendum, quo, quantum fieri potest, damnum compensetur. Explicatius adhuc loquitur Molina, qui ad casum similem, quo quis multis minutis furtis c. g. olei, panis, vini &c. damnum intulit mul-

27. tiscivibus, dicit, talem teneri restituere non pauperibus, sed ipsis civibus, minoris deinceps vendendo, aut majore mensurâ, donec veniat ad æqualitatem. Contrâ verò probabile esse, quòd possit dare pauperibus, ajunt Vasquez, Escobar, & plures alii, præsertim si det pauperibus civitatis ejusdem. Cum ergo pauperum nomine veniat etiam Ecclesia, juxta istos DD. Sempronius bene fecit, si excessum retentorum Collectarum applicavit ad fabricam Ecclesiæ loci. Hinc patet responsio

29. Adatum. Quidquid sit, an pecuniæ Collectarum, in hoc casu remissæ, sint computandæ inter bona propriæ, & strictè incerta, tamen ex judicio tertii Theologi num. 7. allegati, & rationibus dicto num. & sequente propositis æquiparari possunt bonis propriæ, & strictè incertis, in ordine ad obligationem restituendi, & licentiam applicandi illas quoad partem, à principe, ac statibus remissam, cum nulla, ut idem Theologus dixit, sit efficax ratio, quare bona propriæ, & strictè incerta applicari possunt piis usibus, & non idem juris debeat obtinere in casu Sempronii. Imò in hoc casu videtur eadem esse ratio, quæ in bonis propriæ, & strictè incertis; ista enim eà ex ratione pauperibus, vel aliis usibus piis restitui possunt, imò, si incerta sint ex delicto, debent, ex præsumpto desiderio domini, quo cupit, ut, cum ipsi ex inculpabili ignorantia possessoris, nescientis rei dominium, restitui nequeant, saltem restituantur cum emolumento spiritali ipsius. Tale spirituale emolumentum in casu præsentis habent etiam subditi, si his restituendæ essent pecuniæ, ex remissionibus reservatæ, & ex ob difficultatem repartitionis inter ipsos faciendæ, & sic restituendi illis, quod cuique debetur, applicentur, prout actualiter applicatæ esse dicuntur, ad fabricam Ecclesiæ, quam ipsi frequentant. Quod verò in hac ratione dubitandi additur, secus esse, quando scitur, rem pertinere ad unum ex pluribus, sed sciri non potest, ad quem determinatè pertineat, hoc

ut bene notat Illiung *tract. 4. D. 2. n. 258.*

locum duntaxat habet, quando dubium hoc vertitur inter paucos; tunc enim inter hos res ita incerta vel est dividenda, vel procurandum, ut forte, vel conventionem negotium hoc transigatur. Consequenter doctrina ista non pugnat in casu præsentis, ubi dubium est de integra communitate, sed locum sortitur doctrina num. 28. allegata, & sufficit, si talis res erogetur in pauperes, vel alias pias causas loci quæstionis.

30. Ad 5. & 6. Hic versamur in dubio, an pecuniæ, ex Collectis remissis à Sempronio reservatæ, restituendæ fuerint Principi, *P. Schmalzgrueber Consiliu.*

pi, ac statibus, an verò ipsis subditis. Pro Principe, ac statibus pugnat, quòd subditi, postquam exactiones istas in manu Sempronii consignarunt, talium pecuniarum dominium à se jam abdicarint, illudque transfulerint in Principem, & statum; pro subditis autem, quòd valde dubium sit, an Collectæ, consideratæ præsertim tam inutili illarum applicatione justè imponantur, & utrùm non ultra modum, imò contra fas, & æquum tot jam annis à subditis exigantur. Jam ne Principi, vel statibus restituendæ sint istæ pecuniæ, pugnat doctrina, num. 27. allegata, juxta quam cit. ibidem DD. pro Confessariis monent, ut scilicet in dubio de justitia tributorum impositorum, isti penitentem inclinent ad solutionem ante factum, post factum autem ad dubii, & non soluti tributi restitutionem faciendam non compellant: quo posito, meritò de Principe, quippe qui non est credendus gravare velle subditos ultra modum, præsumi potest, quòd interpellatus tali casu pro relaxatione tributi sic imperati, velit illud sic petentibus relaxare, & remittere obligationem illud præstandi. Proinde res tota delabitur ad hanc quæstionem, utrùm non in præsentis casu pecuniæ istæ fuerint restituendæ subditis, in quorum favorem relaxatio ista petita, atque concessa fuit. Sunt autem subditi in casu substrato duplicis conditionis; nam aliqui revera passi sunt damna, à Sempronio pro remissione impetrandâ allegata; alii verò nihil damnorum istorum perpessi sunt. Priores, ut ait Sempronius, ad proportionem damnorum, quæ passi sunt, remissionum istarum gratiâ gavisi sunt: adeoque ipsis nihil restituendum venit. Posteriores, qui integras Collectasolvere debuerunt, & propterea ex factis communitati remissionibus nihil obtinuerunt, meritò præsumuntur, hanc qualemcumque portionem tangentis, si hæc ipsis restituenda foret, iisdem reddendæ obligationem remisisse, tum ob difficultatem repartitionis inter ipsos faciendæ, tum in consideratione favorum singularium, quos ipsi toto hoc officii à se administrati tempore per hujus dexteritatem, & industriam obtinere, quæ tales sunt, ut nec ipsi subditi, nec alius similis Officialis hos obtenturus fuisset. Videntur igitur etiam ipsi consensisse, præsertim postquam hæc portiones ad fabricam Ecclesiæ loci à Sempronio applicatæ fuerunt.

Ad 7. Quidquid sit de aliis similibus Officialibus, qui ad impetrandas hujusmodi remissiones, miseras, & damnificationes subditorum ultra verum exaggerant, Sempronius certè pro foro conscientie ab omnibus TT. ab ipso consultis ab onere restituendi pecunias, ad fabricam Ecclesiæ applicatas, absolvitur: & meritò quidem, quia

31.

quia ex communi TT. principio cum scrupulosis (qualis videtur esse Sempronius) in casibus dubiis, ubi etiam viri docti non sunt concordantes, ita agendum, ut ne rigidioribus sententiis terreamur, atque ita laqueus injiciatur eorundem conscientiis. Pro foro externo, si ad hoc contra spem res ista deduceretur, defenderet ipsum ex parte Principis, & statuum, quia hi sciunt hujusmodi nimias exaggerationes miseriarum, quibus subditi affliguntur, pro impetranda hujusmodi remissione fieri etiam ab aliis Officialibus, & tamen istas concedunt, ut adeo, licet solutionem Collectarum integram, si fraudem rescirent, peterent, post factum autem à restitutione absolverent subditos; ex parte subditorum in casu, quo remissionum istarum gratia faveret etiam illis, qui damna allegata passim non sunt, hi, ut dictum est num. praec. praesumi merito possunt consensisse in hoc, ut portio ipsos contingens applicaretur ad fabricam Ecclesiae suae. Accedit utrinque inextricabilis penè difficultas, in subditis quidem quoad repartitionem faciendam, quid, & quibus, ac in qua portione singulis restitutio facienda esset: ex parte Principis verò, & statuum, si aerario publico refutatio deberet fieri; quia hoc modo deberet à singulis repeti, quod ipsis ultra proportionem cum damnis perpeffis remissum est, & sic nova cum insuperabili difficultate instituenda inquisitio foret, ut repeteri possit vera cum damnis proportio. Ob utramque ergo difficultatem etiam in foro externo defendere sese à restitutione faciendae facile Sempronius poterit.

32.
Deciditur
questio.

Cum ergo in casu subtrato ex una parte tum ob incertum animum Principis, remissiones has facientis, tum ob ambiguitatem de iustitia talium tributorum, ultra vires, ut praefertur, gravantium subditos, dubium sit, an portio, à Sempronio retenta, restituenda sit Principi, an verò subditis; ex altera verò parte tum ex sententia unius ex tribus TT. à Sempronio consultis, quamvis alias contrarii, tum ex ratione, passim in hac resolutione deducta, Collectae, per exaggerationem damnorum nimiam, & ex parte falsam remissionem, inter bona incerta, quamvis non propriè, & strictè talia, tamen quoad effectum, ut de his, prout de strictè talibus, disponi possit, & iudicium hoc neque manifesti erroris, neque practicae alicujus improbabilitatis damnari possit, dici non poterit, quod Sempronius male fecerit, dum de iisdem Collectis eodem modo, quo de bonis strictè, & propriè incertis ex communi TT. sententia disponi potest, etiam ipse disposuit, & partem earum fabricae Ecclesiae applicavit.

33.

Sunt autem bona incerta, seu quae dominum habere praesumuntur, qui tamen ignoratur, juxta DD. duplicis generis;

aliqua enim incerta sunt ex delicto, e. g. fraude, usura, negligentia in domino eorum, quae sciebantur esse aliena, indagando, qui quamdiu, ubi, & quâ ratione indagandus sit, ex prudenti iudicio, & considerata ratione bonorum,

per ea, quae notat Illsung tract. 4. D. 2. n. 257.

desumendum est. Alia sunt incerta sine delicto, v. g. ex inventione, oppignoratione, contractu formaliter iusto, et si iniusto materialiter.

Primigenis bona, si dominus, competenter indagatus, inveniri non potest, ut teste Lugo apud Illsung loc. cit. n. 258. omnes fatentur ad causas pias, erogando videlicet illa in pauperes, Ecclesiam, hospitale aliquod &c. applicanda sunt

arg. can. nemo, qui rapit 4. caus. 14 q. 5. & c. cum tu 5. de usur.

Ratio est, quia dominus, quando res ipsi restitui non potest, supponitur velle eam restitui meliori modo, quo potest, ita scilicet, ut saltem, cum corpori domini non prodest, prosit ejusdem animae, dum in pauperes, vel alias pias causas expenditur.

De bonis secundi generis, scilicet de incertis sine delicto, communis quidem veterum, & multorum RR. sententia voluit, etiam ista applicanda esse ad causas pias, si post adhibitam sufficientem inquisitionem, spes non sit sciendi illorum dominum. Sed quamvis hoc sit magis pium, & practice suadendum, probabilius tamen est, illa in hoc casu retineri ab inventore, vel possessore posse,

prout cum Soto, Ledesma, Bartholomaeo Medina, Lopez, Petro Navarra, Saa, Lessio, & aliis docuerunt Tambur. libr. 8. Decal. tract. 4. c. 1. §. 3. n. 23. Dian. p. 1. tract. 3. Resol. 5. ubi dicit, hanc sententiam esse tutam in praxi. Consentit Illsung D. 2. cit. n. 259. & seqq.

ubi praeter alias hanc dat rationem, quia praesumendum est, dominum velle potius, ut res maneat penes possessorem inculpabilem, quippe apud quem major spes est facilius illam recuperandi, cum iste in legitimum dominum inquisiturus ex obligatione sit, & rem in se, vel in aequivalenti asservaturus, usque dum ille compareat: qua spe caderet verus rei dominus, si inventor nullam spem habere possit eam retinendi; nam forte eam relinqueret in loco minus securo ad evitandam molestiam inquirendi dominum, & custodiendi rem, quamdiu probabile est dominum compariturum. Cum ergo ad obligationem restituendi rem pauperibus inducendam non sufficiat praesumptio nudi desiderii, sed reflexio faciendae sit super voluntate, quid quisque in talibus circumstantiis veller circa rem suam fieri, & plerique non velent

lent huiusmodi obligationem cum periculo eam transgrediendi in se suscipere, ipse etiam dominus non censetur eam velle imponere, utpote generi humano noxiam.

36. In utroque autem casu, scilicet, siue bona sint incerta ex delicto, siue sine delicto, inquiri sufficienter in verum dominum debet; nam, omisâ hac diligentia, neque possessor rei incertæ sine delicto, domino postea comparenti satisfacit, etiam si pauperibus eam distribuerit, quippe quam asservare interea debuisset. Et hoc verum est, etiam si dominus rescitus peregrè absit; nam mittere hanc ipsi debuisset, & quidem suis expensis, si rem male accepit, domini sumptibus autem, si bene. Quando autem nullo modo potest mitti, juxta Tolet. lib. 5. c. 23. & alios expectandum est ad tempus, & si adhuc non sit spes, reputatur esse debitum incertum, & erogari potest in causas pias. Si post debitam diligentiam in inveniendō domino res pauperi, vel causæ piæ est applicata, & post hanc applicationem ita factam compareat dominus,

Sotus, Henriquez, Navarra, Ledesma, alique cum Lugo D. 11. à n. 101.

dicunt, non esse obligationem restituendi eam domino, quamvis res adhuc extaret; quia pauper, vel locus pius acquisivit dominium, quippe quæ tradita ipsis est, quando dominus non poterat censeri rationabiliter invitatus esse circa hanc erogationem. Contra verò

Molina, Layman, Palao, & alii cum Dian. p. 11. tract. 8. resol. 12.

volunt, rem ita erogatam in pauperes, vel causas pias ab his restitui debere domino, ex ratione, quia prior distributio videtur facta ex conditione, si non compareat dominus; alioquin ejus negotium fuisset male gestum.

juxta la Croix lib. 2. p. 2. n. 95.

utraque sententia probabilis, sed secunda videtur esse probabilior. Concedit quidem Molina, si res illa jam sit alienata, eam amplius non esse restituendam domino. Sed, ut addit la Croix l. cit. verius adhuc est, rem, quamdiu existit, restituendam esse, aut ejus pretium, si quis factus est ex ea ditior. Id verò apud omnes DD. obtinet, quòd, si, non præmissâ diligentia de inveniendō domino, res de cujus domino ignorabatur, erogata fuit in pauperes, & locum pium, sique ista adhuc existit, ab istis restitui debeat, & in horum defectu ab illo, qui dedit; ab isto quidem, quia non præmissâ inquisitione, rem talem erogans, domino fecit injuriam; ab illis autem, quia, cum dominus rationabiliter esset invitatus, ab isto ad accipientes non poterat transferri dominium. Quod si verò res, sic erogata, bona fide consumpta fuerit, nec quisquam inde fa-

R. P. Schmalzgrueber Consilia,

ctus sit ditior, tunc ille solus, qui dedit,

ut post Azor. Molinam, Lessium, Bonacinam, & alios monet la Croix p. 2. cit. n. 96.

restituere obligatur.

Cum ergo de pecuniis Collectarum in casu subtrato à Sempronio reservatis, per dicta num. 32. & in præcedentibus, quoad obligationem restituendi sit eadem ratio, quæ de bonis incertis propriè, ac strictè talibus, & possessor bonorum ita incertorum per dicta num. 34. & seqq. distribuendo ea in pauperes, & causas pias, si, adhibitâ diligentia, dominum non invenerit, certo satisfaciatur obligationi suæ, etiam Sempronius regulâ hac uti, & pecunias istas ad fabricam Ecclesiæ loci, quam frequentant ejus subditi, ritè, & licitè applicare potuit, ex præsumpto præcipuè consensu subditorum, quippe qui, cum difficulter ipsis restitui illæ possint, creduntur voluisse eas applicari meliori modo, quo possunt. Ita autem censetur applicatæ, cum à Sempronio applicatæ fuerunt ad fabricam Ecclesiæ Parochialis illorum; nam applicatio ista suo tempore certò redundabit ad spiritualem utilitatem subditorum, imò etiam ad temporalem, si Ecclesia illa egeat refectione, & aliunde non habeat media, ex quibus reficiatur: cum enim tunc ad ejus refectionem concurrere debeant subditi Parochiani, illi ab hoc onere aliquo modo relevantur, & sic restitutum censetur ipsis, quod Ecclesiæ sic indigenti pro fabrica applicatum est.

37.

QUÆRITUR II.

An Sempronius pro expensis itineris ad impetrandas remissiones Collectarum instituti, & pro honorariis in hunc finem distributis, aliquid de his remissionibus sibi retinere potuerit?

Remissionum, quas Sempronius tempore officii sui intra spatium annorum sedecim taliter, ut dictum est, impetravit, quantitas, ultra 20000. fl. ascendit. Expensarum, à se factarum, nomine, & quidem pro sua mercede quotannis 50. fl. & pro honorariis totidem idem Officialis deduxit, & sibi retinuit. Proventus, quos ex officio suo, utut valde honorifico, cæteroquin verò laboribus tum ordinariis, tum extraordinariis valde gravato, percipit, ad congruam, & convenientem statui suo sustentationem planè non sufficiunt. Jam, quod attinet defectum iusti salarii, Sempronius, si eidem pendatur à Monasterio, cujus Præfectum agit, illud, sub cujus pendendi conditione officium istud in se suscepit, etiam si salarium hoc

38.

(Cc 2)

ip.

ipse iudicet non respondere laboribus, quos ipse ratione officii sui sustinet, ulterius nihil potest petere, vel defectum istum propter labores majores, quos sustinet, sibi occultè compensare: idque argumento Propositionis 37. ubi Innocentius XI. damnavit hanc propositionem, quam DD. aliqui sustinuerunt, putantes, quod famuli, & famula domestica possint occultè heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. Et ratio est, cum Sempronius in aditu officii sui sciverit quantitatem salarii, & labores alios non cogatur suscipere, nisi quos susceperunt antecessores ipsius pro eodem salario, ipse censetur cessisse jure ad majus salarium.

39.

In hoc tamen casu Sempronius pro impetrandis remissionibus Collectarum suscepit negotium, ad quod ratione officii sui non tenebatur, & ratione hujus expensas fecit. Proinde locus iterum erit argumento à pari cum famulo, de quo

Navarr. Menoch. Pal. Burghab. apud la Croix lib. 3. p. 1. n. 976.

tenent, istum, si certum sit, quod ipse occupetur in aliis, ad quæ non est conductus, pro his posse stipendium petere, & si aliter istud obtinere nequeat, occultè compensare, nisi tamen volens, & gratuito obsequia ista præstiterit; tunc enim non potest sibi taxare stipendium pro tali labore extraordinario, sed remuneratio est domino ipsius libera, & ideo non potest sibi quidquam pro compensatione illius occultè accipere. Pariter ergo etiam Sempronius pro expensis, in remissione Collectarum impetranda factis, cum utilem subditis operam præstiterit, ad quam ex officio non tenebatur, nisi gratuito (quod non supponitur) istud fecerit, petere ab ipsis subditis compensationem, & si aliter hanc obtenturum se sperare non potuit, tantundem sibi de pecuniis, quarum remissionem impetravit, reservare sibi potuit. Dubium ergo est, utrum compensatio, quam actu fecit Sempronius, sit licitè, & ritè facta?

40.

Ratio dubitandi est, quia, ut licitè, & ritè fieri possit occulta compensatio, requiruntur per DD. communiter plures conditiones. Et 1. quidem, ut debitum sit obstrictum, seu ex obligatione justitiæ, & non tantum ex convenientia, & gratitudine; nam, quod occultè compensari possit id, quod debetur tantum ex convenientia, & gratitudine,

juxta la Croix lib. 3. p. 1. n. 961. est improbabile. 2. ut hoc debitum sit certum, saltem moraliter, seu ita, ut viri prudentes non dubitent, nec putent, hic, & nunc prudenter posse dubitari de opposito; nec enim,

ut idem la Croix l. cit. n. 962. & 963. cum communi notat

sufficit, ut probabiliter putes tibi deberi,

Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis, & iniquum est, ut pro debito incerto certam tibi solutionem tuâ autoritate attribuas. 3. ut debitum sit præsens. Aliqui tamen cum Tann. Dian. Sporer in casu, quo Titius e. g. certò tibi debitorus est 100. post mensem, si post mensem non eras recepturus, putant, te posse prævenire, & compensare tibi nunc, ex ratione, quia licitum est remove periculum, quod certò imminet rei meæ, meque indemnem reddere: quod tamen limitat la Croix dist. n. 963. si ex anticipatâ solutione non nascatur damnum debitori; alioquin debebis hoc resarcire. 4. ut res, quam accipis, sit tui debitoris; unde non licebit accipere rem alienam, apud hunc existentem, e. g. ipsi commodatam, vel apud eum depositam. 5. ut rem tibi debitam non possis aliter facile obtinere, e. g. si deberes debitorem tuum per litem, aut publicam potestatem cum magnis expensis, vel jacturâ amicitiarum, & gratiæ tibi multum utilis ad solutionem cogere: ubi tamen Tamburinus cum Diana notat, non fore mortale, quamvis desit ista conditio. 6. ut fiat cum minimo damno debitoris: unde etiam abesse debet periculum, ne tibi, vel tuo hæredi idem debitum rursus solvatur; item providendum, ne ille, putans necdum esse solutum, maneat in conscientia peccati, nolendoolvere. 7. ut fiat in eadem specie, si hoc fieri possit; nam, si fieri hoc nequeat, licet compensationem facere in specie diversa, ut monet la Croix l. cit. n. 967. 8. ut fiat sine damno tertii, quale esset, si ideo alius putaretur esse furatus, & cogeretur restituere; tunc enim ex charitate teneris compensationem omittere, vel differre, si hoc fieri possit absque notabili tuo damno. 9. ut fiat sine alterius præjudicio, quale esset, si res esset v. g. alteri locata, commodata &c. huic enim fieret injuria, si ante tempus expletum hanc illi eriperes: item, si essent alii creditores, quibus de jure deberetur anterior, vel partialis solutio.

Jam in præsentia casu dubium est, utrum intervenerint omnes hæcenus relatæ conditiones. Nam 1. dubitari potest, an debitum, quod hoc modo sibi compensavit Sempronius sit strictum, seu ex obligatione justitiæ, & non solum ex convenientia, & gratitudine. 2. an sit debitum certum; cum enim probabile sit, has remissiones ob nimias, & partim falsas exaggerationes fuisse ob vel subreptitiè obtentatas, adeoque invalidas, posito, tales illas fuisse, tales Collectæ, à subditis jam solutæ, transivissent in dominium Principis, & statuum Provincialium, qui, cum remissiones istæ non in favorem, sed potius damnum istorum cesserint, nihil ex istis pecuniis debebant Sempronio, sed potius uni-

universas potuissent repetere. Consequenter 3. stante hac probabilitate, quod pecuniæ istæ restitui debuissent Principi, ac statibus, dubium erat, an compensatio hæc fuerit facta ex re debitoris, seu subditorum, pro quibus remissiones istas sollicitavit Sempronius. Posito autem, quod remissiones istæ impetratæ sint valide, & subditis illæ profuerint. 4. Sempronius refusionem expensarum, quas ipse in favorem subditorum fecit, impetrare potuisset alio modo, scilicet ostenso computo expensarum istarum, petendo illarum solutionem à subditis, qui non æstimantur futuri fuisse inviti, nec reluctaturi in istis reficiendis, quippe quibus mediantibus, pro ipsis impetratus fuit tam insignis favor, quem alias sperare non potuissent. 5. denique debitores potius fuissent illi subditi, qui allegata pro remissione damna passi sunt, & quibus remissiones istæ profuerunt: adeoque subditi illi, qui à damnis istis fuerunt immunes, & qui Collectas integras, pendere debuerunt, non fuerunt debitores, adeoque compensatio facta est in damnum, & cum præiudicio tertii.

42. Resolutio huius quæstionis sumitur ex deductis ad quæstionem 1. nam quantitas pecuniarum, quas Sempronius pro compensatione expensarum, à se factarum, sibi retinuit, respectu singulorum subditorum, in quos secundum proportionem distribui debuissent, est valde exigua. Sicut ergo per hæc dicta ipse princeps, &

status in consideratione maximæ difficultatis in facienda repartitione portionum, quid quemque subditorum tangeret, si illis revera pecuniæ sic remissæ deberent ab ipsis restitui, merito censetur relaxasse hanc restituendi obligationem, ita & subditi in casu, quo revera ipsis condonavit princeps has remissiones, & quidem multò magis præsumuntur non velle repetere à Sempronio ea, quæ in compensationem expensarum, hoc casu à se factarum is sibi retinuit; cum enim Sempronius singulis annis retinuerit sibi ex remissionibus his expensas, annuatim à se factas, non censetur operam suam in hoc negotio locasse gratis: adeoque 1. debitum, quod ita sibi compensavit, fuit debitum strictum. 2. fuit debitum certum, præsens, &, supposito, quod princeps absolute remissiones has fecerit, compensatum ex re debitorum. Neque obstat, quod aliter obtinere potuisset solutionem; præterquam enim, quod 3. conditio ista sub mortali non obliget, in hoc casu moraliter observari non posset. Tutò ergo Sempronius sic sibi compensata retinet, & sicut tres TT. ab ipso consulti, quamvis in aliis quibusdam discordes, omnes tamen eundem ab obligatione restituendi illarum, quæ ad fabricam Ecclesiæ applicavit, absolverunt, ita etiam, & multò magis absolvi ille debet ab onere reddendi ea, quæ in compensationem expensarum, in favorem subditorum factarum, sibi retinuit.

CONSILIUM XVIII.

In dubio juris exponendi Vicarios temporales ad parochiales Ecclesias sine novo examine, & aliis concomitantibus.

SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. Jus conferendi beneficia plenissimo jure unita monasterio, competit Prælati monasterii.
3. Si beneficium non plenissimo jure est unitum, confert illud Episcopus.
4. Prælati habens jus institutionis collativati-tuli, non semper habet jus institutionis autorizabilis.
5. Qua in beneficiis curatis non potest præscribi contra Episcopum.
6. Parochia pleno jure unita monasterio nunquam vacat.
7. Nec tenetur monasterium ibi ponere Vicarium perpetuum.
8. Ecclesia jure pleno unita monasterio fit beneficium regulare.
9. Hinc talis Ecclesia non indiget institutione Vicarii collativa tituli.
10. In præsentī casu supponitur approbatio ordinarii.
11. In Ecclesia pleno jure incorporata monasterio, parochus principalis est abbas.
12. Responderetur ad oppositas rationes dubitandi.
13. seq. Exponendus ad curam animarum debet ab Episcopo examinari, nisi jam aliunde nota sit ejus aptitudo.
15. seqq. Inconstituendo Vicario temporalī non requi-

(Cc 3)